Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Sacerdotii Origine & Præstantia - Variis item Industriis, & Praxibus, quibus Sacerdotes boni ad Dei gloriam suámque & Proximi salutem promovendam sunt usi ; Malorvm Qvoqve Sacerdotvm infelici interitu, radicibus, & remediis Cui etiam Compendium Ritualis, ea, quæ pro commodiori Sacramentorum & ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1681

Cap. III. De Sacramento Confirmationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-48600

nire mereatur. Per Chriſtum D. minum noſtr. Amen.

8. *Deinde illam aſpergit iterum aquâ benedictâ in modum unius crucis, ut ſupra.*

9. *Poſtea extentâ manu faciens crucem ſuper illam dicit:*

Pax & benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti, deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. ℟. Amen.

CAPUT III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

ETſi ob reverentiam majorem Sacri Chriſmatis Diœceſi Friſingenſi indutum ſit, ut per Sacerdotes adſtantes, & Epiſcopo miniſtrantes ſtatim poſt dictam Confirmationem, Sacrum Chriſma extergatur, adeóque faſciâ alibi conſuetâ non ſit opus; quia tamen ita componere conatus ſum hoc compendium, ut etiam pro aliis Diœceſibus ſervire queat, in his autem faſcia dicta adhiberi, & poſt elapſos aliquot dies, Sacrum Chriſma abſtergi à Sacerdotibus ſoleat, ut ad manum habeat preces pro tali actu adhibendas, hoc loco ponere placuit, prout in Rituali Auguſtano habentur.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

Acceptâ faſciâ madefactâ cum modico ſale ... in modum Crucis, dicátque:

Ab omni immunditia mentis & corporis mundet te Dominus noſter Jesus Chriſtus in nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritûs ✠ ſancti. Amen.

Deinde addat.

Hæc Sacri Chriſmatis ablutio ſit tibi omnium peccatorum tuorum remiſſio, ut habeas vitam æternam in Chriſto Jesu Domino noſtro. Amen.

Pax ✠ tecum. Vade in pace. Amen.

CAPUT IV.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

De hoc Sacramento duo potiſſimùm pro praxi ex Rituali obſervanda ſunt, ſcilicet modus abſolvendi à peccatis, & modus abſolvendi à cenſuris, quibus addi poteſt modus diſponendi infirmos ad confeſſionem legitimè & fructuosè inſtituendam.

§. I.

Forma à peccatis abſolvendi.

1. *CUm igitur pœnitentem abſolvere voluerit, injunctâ ei priùs, & ab eo acceptatâ ſalutari pœnitentiâ, primò dicit:*

Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam, Amen.

2. *Deinde dexterâ verſus pœnitentem elevatâ, dicit:*

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus, Amen.

Dominus noſter Jesus Chriſtus te abſolvat: & ego aucto-